



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097

Festum SS. Apost. Philippi & Jacobi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53072)

THESIS VIII. *Quid retribuam domino? Pl. 115. v. 12.* I. Martyres repensârunt I. Christo Dilectionem pro Dilectione. II. Sanguinem pro Sanguine. III. Cicatricem pro Cicatrice. IV. Mortem pro Morte; quantum scilicet potuerunt, non ad paritatem.

*Martyres
hodierni.*

THESIS IX. *Persequentur vos. Matth. 10. v. 23.* I. Sunt Martyres, qui sub Tyrannis & Barbaris passi fuerunt, hi fuerunt Martyres Priorum Temporum. II. Sunt Martyres, qui à Christianis patiuntur, & hi sunt Martyres Nostri Temporis, qui æquè, si non magis, sensibilibiter patiuntur.



FESTUM
SS. Apost. PHILIPPI
& JACOBI.

Cœlum. THESIS I. *In Domo Patris mei. Joan. 14. v. 2. In cœlo omnia summa sunt, vera sunt, æterna sunt. S. Aug.*

Aug. in Pl. 49. Scilicet I. Summa in perfectione. II. Vera in æstimatione. III. Æterna in duratione. Vivien in Tertull. Præd.

THESIS II. *Accipiam vos ad me-* Terra.
ipsum. Joan. 14. v. 3. Primum Cognitum Christianæ Philosophiæ est: Scire, quòd terra nobis non conveniat. Hinc tribus modis considerari possunt homines super terram: I. Sicut *Cives*. II. Sicut *Hospites*. III. Sicut *Peregrini*, nunquam verò ut *Domestici*. *Paulus Segneri Manna 25. Jul.*

THESIS III. *In domo Patris mei* Cælum.
mansiones multæ sunt. Joan. 14. v. 2. Cælum ingens Solatium I. In Afflictione Animi. II. In Morbo Corporis. III. In Adversitate & Persecutione. *Pactuchelli in Jonam Lect. 35. §. 7. 8. & 9.*

THESIS IV. *In domo Patris mei,*
Joan. 14. v. 2. I. Una ex maximis pœnis Inferni est Cælum, scilicet amissum. Nam sicut Æger Bonum Sanitatis præ quàm alius agnoscit; ita Damnatus Cælū. Dives Epulo elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham

D 3 à

à longè, & Lazarum in sinu ejus. Luc. 16. *Cruciantur igne, & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum, & ante conspectum Agni. Apoc. 14.* Quid, quòd cognoscunt, Deum cum Sanctis suis de illorum pœnis gaudere, & tripudiare propter gloriam inde resultantem Justitiæ Divinæ? *Faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, egistis: Ecce! Servi mei comedent, & vos esurietis: Ecce! Servi mei lætabuntur, & vos confundemini; Ecce! Servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione cordis ululabitis. Isai. 65. ll.* Unum ex maximis gaudijs Cœli est *Infernus*, scilicet evitatus: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Sicut qui, alijs navibus pereuntibus, suam navem integram in portum deducit, ex aliorum naufragio suam felicitatem aestimare discit.

Beatitudo. THESIS V. *In Domo Patris mei.* Joan. 14. v. 2. *Beatitudo Sanctorum in cœlo consistit I. In Unione cum Deo. II. In Visione Dei. III. In Dilectione Dei.* Hanc prælibationem Cœli Anima devota suo modo habere potest in terra.

THE-

THESIS VI. *Ostende nobis Pa-* *Beatitudo*
trem, & sufficit nobis. Joan. 14. v. 8.
Res mira ! I. Hominem beare Mun-
dus non sufficit. II. Hominem beare
solus Deus sufficit. III. Et tamen ho-
mo suam felicitatem potius in Mundo
deficiente, quàm in Deo sufficiente quæ-
rit. *Vivien in Tertull. Prædic. verbo Bea-*
titudo.

THESIS VII. *In domo Patris mei* *Cælum*
mansiones multæ sunt. Joan. 14. v. 2. *Infernus;*
I. De Cælo facilius est dicere, quid ibi
non sit, quàm quid ibi sit : quia nec
oculus vidit, nec auris audivit &c. II.
De Inferno facilius est dicere, quid ibi
sit (ignis, vermis, tenebræ &c.) quàm
quid ibi non sit.

THESIS VIII. *In domo Patris* *Cælum.*
mei. Joan. 14. v. 2. *Paradisi bona*
I. Magna sunt. II. Pura sunt. III.
Æterna sunt. *La Selve. Dom. 2. Quadra-*
ges.

THESIS IX. *In domo Patris mei* *Beatitudo.*
mansiones multæ sunt. Joan. 14. v. 2.
Consideremus Cælum secundum o-
mnem dimensionem suam, cujus prima
est I. *Altitudo* *Beatitudinis cœlestis,*
D 4 quæ

quæ consistit in Visione Dei, Amore, & gaudio inde existente. II. Secunda *Latitudo* Beatitudinis accidentalis. III. Tertia *Longitudo*, quæ consistit in duratione æterna. IV. Quarta *Profundum*, quia merces vestra copiosa est in Cœlis. Vide *Fullonium* in *Lib. Machab. in Indice Concionat. fol. 91. col. 2.*

Infernus.
Purgatorium.
Cœlum.

THESIS X. *Qui videt me, videt & Patrem.* Joan. 14. v. 9. I. Deum cognoscere, & nec amare, nec possidere, conditio Damnatorum est. II. Cognoscere Deum, & amare, nec tamen possidere, Status Animarum in Purgatorio est. III. Cognoscere Deum, & amare, & possidere, conditio Sanctorum in cœlo est.

Via ad Cœlum.

THESIS XI. *In domo Patris mei.* Joan. 14. v. 2. I. Paradisus est *Locus Gloriæ*, ad quem accessus non est, nisi per *Humilitatem*. II. Locus est *Abundantiæ*, quò pertingere non possumus, nisi per *Amorem Paupertatis*. III. Locus *Deliciarum* est, ad quem nos ducere debet *Pœnitentia.* *Diction. Apostolicæ.*